

dum est extensa, id quod probatur pri-  
mò ab eorum sensu qui axioma illud in-  
venerunt & usurparunt, deinde à ratio-  
ne, qua veritas ejus demonstrari po-  
test.

3. Qui hoc axioma primi introduxe-  
runt sæpiusque pronunciârunt sunt *vulgaris*  
hominum, qui nihil solent nisi corpo-  
reum cogitare deque eo solo sermones  
miscere, ut alibi est probatum. Dices,  
etiam de Deo sæpe loquuntur, qui tamen  
corporis expers est. Resp. Et hunc non alio  
modo, quam res corporeas solent, animo  
concipiunt, ita solem & lunam & similia  
corpora cunctæ gentes habuerunt pro  
Diis.

4. E Philosophis nunc unum producam  
Platonem, qui in Parmenide quidem ge-  
neraliùs loqui videtur inquiens : *quod nus-  
quam est nihil penitus est*, item, *quicquid est  
semper alicubi esse oportet* ( ubi tamen ser-  
mo est de *toto*, quod principium, medium  
& finem habet, quod ego intelligo cor-  
poreum ) At in Timæo, ubi plenius & ma-  
gis ex instituto hac de re differit, axioma  
illud manifestè ad res corporeas refert  
his verbis : *locus interit quidem nunquam,*  
sed